

effulsit. De tota siquidem regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum, et tantus erat concursus, **1142** ut prædictus rex cum aliquando populum comprimentem coercere non posset, deposita chlamyde Virum sanctum in proprias ulnas suscipiens, de basilica exportavit. Inter plurimos sane qui ibidem adepti sunt sanitatem, senex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus et honoratus, multis suorum precibus, non sine multo labore introductus est ad Hominem Dei : a quo post brevissimam, ut solebat, orationem erectus protinus et sanatus, non modo incolumis, sed et fortis apparuit, ut posses credere, si videres, non tam alteratum hominem esse, quam alterum. Jamque eo viriliter procedente parabant aiii tollere lectum ejus in quo advectus erat, cum revocans eum unus ex circumstantibus Hugo Tullensis Ecclesie archidiaconus, evangelici illius paralytici memor : « Non sic, » ait, « non sic vacuus réverteris, *tolle grabatum tuum, et ambula* (Joan. v, 8). » Et imponens in humeros ejus, dimisit eum libere procedentem : et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo. Ibidem etiam puer surdus et mutus ex utero matris suæ, sublevatus per scalam, et in fenestra accedens ad Virum Dei, sub manu ejus auditum recepit pariter et loquelam. Sed et paralytica quædam mulier de eadem regione, dives et honorata, ibidem recepit amissam ex multo tempore sospitatem. Dumque exsiliens ambularet, omnes quidem lætati sunt qui videbant, sed præ cæteris exsultavere milites qui attulerant et obtulerant eam. Nam et ipsius sibi particeps esse virtutis religiosa devotio videbatur. Per idem tempus transeunte Sancto prope vicum in litore Rheni positum, quem Bobardum vocant, et varios per universam provinciam curante languores, oblati est paralyticus in grabato. Audita siquidem fama virtutum, a prædicto vico in occursum ejus se fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens, erexit hominem, incolumemque remisit ad propria.

32. Eodem anno ingredienti urbem Treverensium Servo Christi, ex more obviam ruit populus universus. Offerunt ei sorores duas, quæ ab annis quatuor, amborum lumen amiserant oculorum. Quarum ille utrique imprimens signum crucis, visum reddidit lucis : et videntes Virum Dei cum cæteris sequebantur. In ejusdem basilica civitatis, cum ad altare beati Petri apostoli Vir apostolicæ gratiæ immortalis Hostiam immolasset, oblati est ei claudus, et ambulavit : oblati est cæcus, et vidit, oblati est surda mulier, et audivit. Hæc in somnis admonitam se esse dicebat, ut Dei Hominem peteret, cujus beneficio receptura esset auditum. Apud Confluentiam, Trevirensis diocesis nobile castrum ad Mosellam fluvium, qui ibidem in Rhenum labitur, Dei Famulus pertransibat : cumque paululum processisset, oblatum sibi et signatum hominem claudum deponi jussit et ambulare, sed

(80) Supra, num. 24.

A non fuit qui obediret. Nec mora, claudus idem re-tractum femoris nervum clamant sponte laxari, et dum nescit, extendi velut ab altero genu suum, quod quamlibet ante conatus, nullo modo potuisset. Mirantur omnes, probatur sub omni velocitate quod dicitur : deponitur illico, illico graditur, illico sanus et incolumis innotescit.

CAPUT VI.

De variis et illustribus miraculis Coloniae, Aquis-grani, Leodii, Cameraci, et in Hispania factis.

33. Non est nobis Colonia transeunda. Magna est civitas : magna illic Dei Famulo virtus adfuit ; magna illum devotio coluit populorum. Ostenditur usque hodie in claustro beati Petri, sicut a personis veridicis nuper accepimus, adolescens olim claudus, nunc libere gradiens, qui oblati Viro Dei, ad impositionem manus ejus gressum recepit, unde etiam filius ejus publice cognominatur. Abbas Henricus de Suecia, cujus nos supra fecimus mentionem (80), nuper retulit nobis, feminam nobilem, germani sui olim uxorem, cum post obitum viri sui præ dolore phrenesim incurrisset, et multo tempore sic se habens, in vinculis teneretur, eidem Patri sancto in præfata urbe oblatam, et vix tenuiter in turba circumstrepente signatam, dum ex more ligata **1143** revehitur, mentem pristinam atque integram recepisse salutem. In eadem etiam civitate filiam surdam eidem Patri sancto parentes nobiles obtulerunt. Hanc aiebant a pueritia traditam sanctimonialium monasterio feminarum, ibidem amisisse prorsus auditum, et annos plures in eodem incommodo peregisse. Cujus aures signo crucis edito Pater sanctus attrahens, protinus et auditum ei, et parentibus eam reddidit audientem. Accedens inter hæc mulier honorata. Coloniensis itidem civis, quæ alterius oculi lumen amiserat, plurima jam per quinquennium inutiliter sese in medicos expendisse dicebat. Et ipsam quoque continuo per signum crucis illuminans Vir beatus, quod gratis acceperat, gratis dedit. Sed et matronam alteram in beati Petri basilica oblatam in lectulo, idem Christi servus erexit protinus, et incolumem suis pedibus abire præcepit. Hujus ex multo tempore nervi femorum fuerant sic retracti, ut nec erigi ullatenus posset, nec consistere pedibus suis. Nam ex personis aliis perhibebant, qui studiosius observarunt, ad ejusdem Viri sancti orationem et manus impositionem, in civitate prædicta, intra triduum quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos sanatos, quinque cæcos illuminatos loquelam redditam mutis tribus, et decem surdis auditum.

34. Aquisgrani sede regia, dum in illa famosissima toto Romanorum orbe capella Vir beatus Missarum solemniam celebraret, claudus homini gressum, et cæcis quatuor visum sub manu ejusdem servi sui, Rex regum et Dominus dominantium reparavit, et potenti virtute restituit. Eodem etiam

tempore intra Leodiensium fines, præter innumeralia, quæ brevitate studio præterimus, juxta oppidum quod Fontanas vocant, orante eo aperuit Dominus oculos cæci nati. Hujus non modo oculi cæci, sed etiam ipsæ quoque palpebræ clausæ et emortuæ erant : quas sacratissimis digitis suis aperiens Vir beatus, divino munere et vigorem palpebris, et pupillis præstitit claritatem. Confestim denique idem puer lucem miratus ignotam, maxima cum exultatione clamabat : « Video diem, video omnes homines, video capillatos. » Plaudens quoque manibus et tripudians : « Deus, inquit, ex hoc jam non offendam ad lapides pedes meos. » In urbe etiam Cameraco celebranti Missarum solemniam Viro Dei surdum et mutum a nativitate puerum offerebant. Quem audientem protinus et loquentem, qui propius aderat, super gradum ligneum statuere, ut de eo loco eminentiori novo sermone populum salutaret. Nec mirum quod mira plebis devotio, mira protinus vociferatio sit secuta. Et hæc quidem super iis quæ in regno Germaniæ in manu Servi sui mirabiliter operatus est Deus, e pluribus pauca sufficiant.

35. Nam et in Hispaniis, ubi præsens ipse non fuit, sanctitatis ejus indicia claruerunt. Cum enim fidelis servus et prudens, et pretiosum dominicæ crucis fructum undique colligeret, atque iterum propagaret ubique ; contigit ut de filiis suis in Hispanias mitteret, in illis quoque sicut in cæteris gentibus fructum aliquem habere desiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco, cui nomen est Superadam, gravissima valetudine occupatus, per multum jam tempus jacebat paralyticus in grabato. Interim per abbatem suum incommodum suum nuntiat Patri sancto, et ut sui miseretur exorat. Eadem autem die qua Vir beatus in Clara-Valle pro eodem paralytico ad petitionem sui illius abbatis oravit, currente velociter verbo virtutis, et virtute orationis, ille in Hispaniis repente convaluit, tanquam vas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi. Regressus quidem abbas cum prædictum fratrem incolumem reperisset, diligenter sciscitatus ab eo modum et tempus suæ liberationis, certissime comperit orante in Galliis Dei Famulo, illum in Hispaniis esse curatum.

36. Et quia semel ad Hispanias vertimus styllum illud quoque quod contigit de Viro Dei reverendissimo Petro Asturiensi episcopo, prosequamur. Is quidem Petrus **1144** nobilis genere, monachus professione, pietate devotus in cenobio quodam, quod eo tempore ipse regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, ut nec Regulam observare jejunii, nec sine pelliceis posset pileis (81) stare. Audiens autem celeberrimam virtutum famam quæ

(81) *Agnina caputia vel capellos* vocat Petrus Venerabilis in scripto inedito de vestimentis fratrum, ubi præscribit ut prior Cluniacensis de singulis tunicas, hoc est vulgari nomine, frocos, cucullas pel-

per Dei Hominum efficiebantur, per quemdam fratrem legationem mittit suæ supplicationis, et opem flagitat suæ intercessionis. Cui Vir sanctus laneum (82), quo ipse utebatur, pileum misit, et promisit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suscepit ille missam sibi benedictionem maxima cum reverentia et devotione. Confitens enim quam sollicitè potuit delicta sua, et stola sese induens sacerdotali, ita demum velut Christi fimbriam tangens, Servi Christi pileum sumpsit, et imposuit capiti suo. Nec tardavit fidei fructus, et benedictionis effectus ; sed miratus et ipse est, celerem protinus sentiens medicinam, et extunc usque hodie ab hujusmodi languore sanus et incolumis annuntiat omnibus quam experiri meruerit ipse virtutem. Nam et episcopus factus xenia illa divisit, partem mediam suis secum in scriniis honorificentissime ferens, mediam in monasterio sub eadem veneratione deponens ; nec locum scilicet unde vocatus, nec sedem cui prælatus est, volens tanta benedictione fraudari.

CAPUT VII.

De miraculis in patria et vicinia Claræ-Vallis per beatum Bernardum factis.

37. Ex hoc nobis ad ea quoque quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo forte etiam plus quam propheta dici posse videtur, quod propheticus ei non defuerit honor, ne in patria sua quidem. [Henricus quidam, vir magnus et potens in domo et familia ducis Bavarorum, ex multo jam tempore, misero penitus et miserabili quodam incommodo desperabiliter laborabat. Si quidem tanquam vivum aliquid et motabile intra præcordia sentiens, et ex magna parte phreneticus, nec consolari poterat, aut securus esse : nec quid timeret aut pateretur, agnoscere, nisi quod dæmonium esse suspicabatur. Talis ad Dei Hominem de Bavaria Claram-Vallem usque perductus, ejus oratione perfectam meruit sospitatem. Cui etiam formam vitæ et mandata, quæ deinceps observaret, idem Sanctus imponens, incolumem remisit ad propria. Nam et usque in præsentem diem, sicut certa relatione didicimus, tam obediens perseverat, ut non modo suis contentus sit stipendiis, sed operibus etiam pietatis intentus : ita ut mirabilior ejus morum conversio, quam curatio videatur.] Musseium dicitur villa super Sequanam fluvium, paucis a Clara-Valle milliariibus distans. Ex hac virum hydropticum ad Dei Hominem adduxerunt. Cui manus imponens, et orans, proprio quoque cingulo tumentem enormiter uterum ejus accinxit, præcipiens ut incolumitate recepta, præstitutum sibi cingulum reportaret. Nec tardavit sanitas, sed paulatim tumor abscessit. Denique circa vicesimum diem gracilis incolumisque reversus, cingulum simul et

licias, agnina capucia vel capellos, stamineas, femoralia, flumas, hoc est opertoria pulvinariorum. Confer notas ad Bernardi epist., 1.

(82) Supra lib. III, num. 5.

gratias multas suo retulit curatori. Exeunti alio tempore monasterii claustra, senem paralyticum ex proximo viculo, qui Mundivilla dicitur, obtulerunt. Subsistens autem modice, et breviter orans, tetigit hominem, et incolumem suis precibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus qui in occursum Viri Dei confluerat, non sine lacrymis Domium collaudabat. Item redeunti aliquando de via, præ foribus monasterii oblati sunt puer surdus et mutus. Exspuens igitur tetigit linguam ejus, et digitos immisit in aures. Protinus autem aurium ejus obstacula facta de medio, et solutum est vinculum oris ejus.

38. Malenvilla dicitur vicus, tribus circiter miliaribus a monasterio distans. Hunc quandoque pertransiens Vir beatus, mancam puellam tetigit et curavit, quam nunc usque superstitem et incolumem esse nuper accepimus. **1145** Per idem tempus in finibus illis, apud castrum quod nominant Burdemontem, duo milites de beati Patris virtutibus conferebant: sed minus credulus alter, « Si hunc, » inquit, « sanaverit puerum, ex tunc firmus credam. » Dicebat autem surdum quemdam et mutum, qui apud eos nutritus, nec locutus fuisset aliquando, nec audisset. Post dies paucos transiente propius Patre sancto, ambo pariter puerum tollunt, et offerunt ei. Imposita igitur manu puero, et signans os illius et aures, allocutus est eum, et loquentem protinus et audientem dimisit. Apud Risnelmum oppidum regionis ejusdem usque modo cernere est adolescentem. Simonem nomine, satis notum, qui præfato Dei famulo claudus oblati est, et sub ejus manu gressum recepit. Barrum super Albam dicitur oppidum, tribus, ut aiunt, leucis distans a monasterio Claræ-Vallis. Ibi quoque sæpius per hunc hominem Dei divinæ virtutis opera claruerunt. Siquidem præter ea quæ minus diligenter curavimus vestigare, quod omnis nostra curiositas signorum multitudinem vinceretur, quatuor illic claudos ad ipsius orationem et manus impositionem diversis temporibus Christus erexit, cæcos duos illuminavit, duobus æque surdis et mutis auditum præstitit et loquelam. Sed et juxta alterum Barrum super Sequanam ad ejus tactum illuminatus est cæcus, convaluit etiam paralyticus, gressum recepit puer claudus ex utero matris suæ.

39. Cum reverendissimus papa noster Eugenius tertius, ex monacho Claræ-Vallensi et abbate Sancti-Anastasio in urbe Roma, ad apostolicam assumptus cathedram, Gallias introisset; ibat cum eo Vir sanctus, nec minus apostolica virtus in illo, quam in illo dignitas præeminebat. Tantis enim ad beatum Virum concursus erat incommodis variis laborantium, ut cum aliquando summus Pontifex basilicam, ubi ille Missarum solemniam celebrabat, devotus intrasset; expleto sacrificio, ex more accedentibus eis qui curam desiderabant, paulo minus idem

(83) *Morimond*, quarta Cisterc. filia, fundat. an. 1115 in diocesi. Lingon.

A papa comprimeretur a turbis, et vix potuerit per ministrorum manus educi. E plurimis sane quæ in ejusdem apostolici Viri facta sunt comitatu, duo scribimus quæ nos oblivisci ipsa quam vidimus magnitudo lætitiæ non permittit. Chaleta dicitur vicus inter Provignum castrum, et Sequanam fluvium constitutus, ubi puer ferme decennis ab anno priore paralyticus sic jacebat, ut nec ipsum caput flecteret, nisi ab altero moveretur. Quem afferentes in culcitra mater ejus cæterique propinqui offerebant Viro sancto, prope eundem locum per stratam publicam transeunti. At ille signatum erigens statuit supra pedes suos, ut ire præcepit. Nec mora exsiliit puer, et ambulabat magnificans Deum: qui tandem Sanctum prosecutus est abeuntem, donec ille invitum licet et renitentem redire præcepit. Ubi non immerito quidem magna admodum facta est admiratio, magna exultatio omnium qui videbant: sed præ cæteris frater junior in ipsius tanquam rediviviscula ruens multos eorum ad lacrymas usque permovet. Hinc quidem puerum et post annos quatuor in eodem vico beato Viro mater ejus offerens, sacros monebat osculari pedes: « Hinc est, » inquit, « qui tibi vitam reddidit, et te mihi. »

40. Eodem anno (an. 1148) apud Cistercium juxta morem abbatibus congregatis predictus papa venerabilis adfuit, non tam auctoritate apostolica præsidens, quam fraterna charitate residens inter eos, quasi unus ex eis. Ubi cum ad cellulam, in qua jacebat, facto vespere et conventu soluto, Dei Famulus divertisset, surdum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, et sicut postea didicimus, ex longo ante tempore vigilans in custodia gregis sui, subito terrore percussus, amiserat prorsus auditum. Orans itaque Pater sanctus, et puero manus imponens, utrum audiat sciscitatur. At ille mira devotione proclamans, « Audio, domine, audio; » tam firmiter amplexatus est eum, ut vix ab eo posset avelli. Auditum est verbum, oblati est puer summo pontifici aliisque personis, celeberrimumque hoc miraculum fuit. Venerat Pater sanctus ad monasterium in diocesi Bisuntina, cui nomen est Charus-Locus, et erant cum eo ex abbatibus sui Ordinis multi, ubi matrona quædam de **1146** finibus illis ex multo jam tempore clauda, in carro allata et oblata est ei. Orans vero breviter, et signans eam in nomine Domini erexit et sanavit, ut eadem hora incolumis remearet ad propria. Eodem tempore in monasterio Morimundo (83), quæ est Cisterciensis ordinis abbatia una de primis, monachus quidam jacebat usque adeo paralyticus dissolutus, ut omnibus pene membris officio proprio destitutus, non manum posset movere, non pedem. Interea superveniens Vir beatus paralyticum visitat, manum postulatus imponit, et continuo opem sensit ægrotus. Ut tamen gratius esset miraculum, velut gradatim prius alteram manum secundo alteram recuperavit. Exinde profecturus palliolo suo operuit postulante, et subito in brevi obtinuit

etiam reliqui corporis sospitatem. In monasterio Albæ Ripæ (84) monachus quidam adolescens usum vocis amiserat, ut nec psallere inter fratres nec a quoquam, nisi multum proximo sibi, intelligi posset quid loqueretur. Cui Vir sanctus, dum idem monasterium visitaret, aquam cum vino benedicens potum dedit: et post paululum frigidus ex ejus pectore mira cum suavitate sudor erupit. Deinde ipsa die ab eodem incommodo liberatus, psallere cepit quasi unus de cæteris fratribus: et hoc illi beneficium usque hodie perseverat. [Norunt multi devotum juvenem, qui Lugdunensis olim Ecclesiæ filius, modo monachus Cisterciensis, patri sui sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, cujus et nomen meruit, mores imitatur. Hujus conversione Vir sanctus audita, gravisus est, quia patruo ejus singulari fuerat charitate devinctus et consolatorias illi litteras misit (85). Contigit autem, ut eodem tempore idem juvenis febre correptus, graviter laboraret. Suscepit igitur debita veneratione epistolam, fidei devotione collo suo ob remedium salutis appendit, et usque modo gratulatur perfectam se protinus obtinuisse sospitatem.]

41. Cum venisset aliquando Pater sanctus ad monasterium Trium-Fontium (86), oblati est ei clericus quidam ex his qui Regulares nominantur, homo grandævus et cæcus. Imposuit ei manum, et brevem ex more fecit orationem, et eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam. In Trecentium urbe multa per hunc Dei famulum miracula claruerunt: e quibus duo quæ presentibus episcopis Godefrido Lingonensi, et Henrico Trecenti facta sunt, memoramus. Puellam curvam, in prædicti Trecenti episcopi domo, propinqui et noti cum multis ei precibus offerebant. Tantus vero concursus erat, ut cum eam signatam Dei Famulus, ac si molle lutum intra sacras manus mirabiliter formans erexisset, et erectam incedere præcepisset, locus non potuerit inveniri. Demum super mensam magnam quæ prope posita erat, statuerunt illam, et erecta libere gradiebatur, magnifice Dominum collaudantibus universis. Hanc quoque adhuc superstitem ab his qui eam novere, nuper audivimus. In eadem urbe filiam mutam Patri sancto obtulit mater, cui morbus epilepsiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora, Servo Christi imponente ei manum, solutum est vinculum oris ejus, et loquebatur recte. In ejusdem urbis diocesi loco, cui nomen Domnamant, cum Vir sanctus Missarum solemniam celebrasset, cæcum illi filium obtulit pater. Exspuens autem in digitos suos, et palpebras ejus liniens, eadem hora videntem illum reddidit patri suo. Nec longe ab eodem vico, apud oppidum Argilleras, post Missarum similiter celebrationem feminam

(84) *Auberive*, ordin. Cisterc., fundat. in diocesi. Lingon. an. 1136.

(85) *Epist.* 322.

(86) *Troisfontaines*, ordin. Cisterciensi fundat. an. 1118. in diocesi Catalaunensi.

A claudam, quæ ibidem multo tempore mendica vivebat, cum basilicam egrederetur, signans et sanans, populum multum qui indique fuerat congregatus, admiratione et exultatione replevit. In exitu quoque oppidi quod Rosnaim vocant, paralyticum hominem sic extenuatum corpore, ut solam circumferre videretur pallidæ mortis imaginem, impositum plausiro transeunti Viro Dei offerunt. Is quoque ubi signatus est, deponi et incedere jussus, plaustrum suum suis pedibus incolumis sequebatur, vehementer stupentibus et in Dei laudem acclamantibus universis.

42. Alio tempore proximum castrum Brenam transiens, obvium habuit populum multum, sicut ubique semper et undique in ipsius occursum confluebat innumera **1147** multitudo. Ubi cernentibus cunctis, feminam claudam ex eodem oppido tetigit et erexit, quam et ibidem postea vidimus occurrentem ei cum cæteris, et præ cæteris gratias referentem. In pago Senonico apud castrum quod Triangulum vocant, inter Missarum sacra solemniam, femina cujus ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, sub manu Viri Dei, mirantibus omnibus, visum recipit. Apud Monasteriolum quoque, ubi Yona et Sequana confluunt, præsentem piissimo principe comite Theobaldo, aliisque astantibus non paucis potentibus viris, offerenti divina sacrificia Viro Dei paralyticam feminam obtulerunt: quam expletis solemnibus tangens et erigens, ipsa hora sanam remisit ad propria, ita ut suis illa pedibus abeunte, grabatum in quo fuerat apportata, in eadem basilica vacuum videremus. Ejusdem quoque diocesis castrum Joviniacum transeunti eidem famulo Christi, in strata publica cæcam feminam offerebant: substitit, et breviter orans eidem feminæ manus imposuit, et Dominus aperuit oculos ejus. Ut autem videre visa est, et exultatio magna secuta est omnium qui aderant, et clamantes alter ad alterum, « Anna videt, Anna videt » (hoc enim eidem feminæ nomen erat), copiosus undique confluebat.

43. Interea Vir sanctus accelerans declinabat turbas, et egrediebatur, cum juvenis quidam, altero oculo cæcus ab utero matris suæ, secutus est, et consecutus est eum. Qui quidem et ipse continuo ad ejus benedictionem visum recepit, et geminata est lætitia populi prosequentis. [Autissiodorum aliquando veniens Vir beatus, orationis causa monachorum basilicam introivit, ubi confessor Domini gloriosus Germanus episcopus requiescit: cui post orationem regredienti mulier clauda, genibus repens et manibus, ut sui miseretur, supplicabat. At ille signo crucis edito, apprehendit manum ejus, et erexit eam: exiensque dimisit incolumem, et Deo gratias reddituram ad prædicti confessoris memoriam misit, suis pedibus gradientem.] Chableia nomen est vico, qui insignem beati Martini basilicam habet. Nam et fundus ipse ad possessionem spectat ecclesiæ Turonensis, ubi corpus jacet ejusdem glo-

riosissimi confessoris. Hunc vero vicum Dei Famulo transeunti claudum adolescentem populus offerebat : quem ad ejus orationem erectum protinus, et libere gradientem, ad prædictam beati Martini basilicam deduxerunt, magnifice Dominum collaudantes, qui Martini sui spiritum suscitaverat in Bernardo.

CAPUT VIII.

De variis signis et miraculis promiscue editis, de quorum eventu prius in visu edoctus fuerat.

44. Nonnullas etiam sanitates, quas in manu fidelis Servi sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabiliter præostendit ; multas ipse, cum fierent, animi virtute persensit : ad aliquas etiam spiritu suggerente non rogatus accessit. E quibus, ne videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subjicimus, illud etiam e regione monentes, ne quis forte tam breviter scribi opera tanta miretur : siquidem multa ex his in tam brevi fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus. Et cum dici solet nihil esse facilius dicto ; huic tamen Dei famulo per gratiam quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quam nobis facta narrare. Egreddenti aliquando monasterium Patri sancto homo quidam de finibus illis occurrens, sanandum filium offerebat. Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum difficiliter acquiescebat, *ne videlicet*, si concursus illuc hominum fieret, quies cœnobii turbaretur, et disciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus et mentis inops, claudus quoque, et surdus, et mutus. Qui eadem hora per ipsius orationem et manus impositionem ab omni simul incommodo liberatus, audiebat, loquebatur, et ambulabat, et sanæ mentis effectus, a priori penitus inquietudine et furore cessabat. Cumque eundem jam incolumem filium pater devotus ad oratorium beatæ Dei Genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuo fratres, de tam multiplici **1148** unius incommodo pueri conquirentes.

45. Ad quos Pater sanctus : « Flagellum, inquit, Dei erat, et maligni spiritus dira vexatio. Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco : erat autem juxta fluvium Albam, ubi sanatus est puer : hic, inquit, vidi oblatum mihi puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem protinus recipere sospitatem, usumque membrorum. » Addidit etiam Vir beatus de eadem scilicet visione : « Cumque paululum processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, juxta proximam vicum (dicebat autem de eo quem nominant Longum-Campum) offerebatur mihi puella clauda, et Dominus ei gressum reddebat. » Audierunt et mirati sunt fratres, futuri magis attoniti expectatione miraculi, quam recordatione præteriti. Quid enim unquam simile mundus audivit ? Ventum est ad locum, inventa est ibi protinus puella clauda exspectans Dei Hominem trans-

(87) Vide de eo infra lib. vi in fine proœmii et lib. vii, cap. 20.

iturum, et a simul transeuntibus, juxta verbum quod ipse dixerat, exspectata. Oblata igitur ab eis qui attulerunt eam, signata ab Homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, et ibat gratias agens.

49. Anno altero causa exstitit ut Vir sanctus Lingonas peteret ; inter episcopum et clerum civitatis illius orta gravi admodum similitate. Ubi cum prima die ineffaciter laborasset, et mane facto pararet abire, dicebat fratribus, « Quia vidi per visum noctis introeunti mihi ecclesiam offerri claudam feminam, et sanari. » Post unam fere horam, cum iterum clerici convenissent, præter spem omnium reformata pace multis precibus coegerunt illum beati Mammerti martyris intrare basilicam ; et quia fames invaluerat, populum ad eleemosynam exhortari. Ubi inter loquendum (sicut prædixerat) oblata est ei clauda mulier, et erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita sese recordabantur audisse futurum.

47. In pago Treverensi antiquum exstat cœnobium, quod Rutinense vocatur : ubi celebrante aliquando Missarum solemniam Viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proximum monasterio, claudam feminam fecit afferri. Hæc ex multo jam tempore repeos humi, erigi penitus non valebat ; sed scabellula tenens manibus, renes emortuos post se trahere consueverat. Cum autem præ multitudine populi ad Dei Hominem introduci femina non valeret, in basilica media repente convaluit ; et exsiliens ambulabat, non sine lacrymis agens gratias Deo : cujus scabellula populus jubilans tulit protinus ad altare, ut sisterent ea Domino, et Bernardo servo ejus. De cujus nobis curatione confessus est Pater sanctus, quod præcedenti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eadem basilica, in medio populi circumstantis, clandestinus et ignotus ejusmodi feminam tangere et transire, ac protinus eandem videre satanam, plurimum sibi ipse congratulans et exsultans, quod agnitus non fuisset. Eadem etiam die rutilavit Rutinæ in beati Viri presentia lux cœlestis, cujus benedictio aliis quoque claudis duabus feminis gressum, visum reddidit cæcis æque duabus. Sæpissime vero contigit, ut inter orandum indubitanter Dei Servus agnosceret virtutem adesse divinam. Cujus tamen modum cognitionis nullis se posse verbis exprimere fatebatur.

48. Nonnunquam vero cum signasset aliquos et transisset, sanatos esse dixit, et regressus aliquis ex his qui audierant, sicut dictum erat, invenit. Egressus aliquando Basileam urbem, surdum quemdam signaverat, et transierat. Cumque paululum processisset, vocans Alexandrum Coloniensem : « Revertere, ait quære utrum audiat homo. » Rediit ille, et illum reperit audientem. Similiter ipso die cum signasset alium cæcum altero oculo et abiret : « Deus, inquit, aperuit oculum ejus. » Hoc etiam prædictus Alexander (87), cum ad inquirendum reflexisset iter, ita esse cognovit. Istæ est

Alexander, qui in eisdem diebus ad Viri Dei sacra monita, ostensionemque virtutum, cum aliis ferme tringinta sæculo valescit, et secutus est eum : a quo etiam post modicum tempus abbas est ordinatus in monasterio Tolosanæ diœcesis, quod Grandis-Silva vocatur. In Constantiensi quoque diœcesi prope **1149** castrum Frieberg, cum homini cæco in via manum imposuisset, remisit qui videret eum, et inventus est videns. Quod de duobus aliis cæcis in pago Coloniensi prope monasterium, quod Brumvillare dicitur, similiter fecit ; et cum videre renuntiarentur, confessus est se quoque sensisse virtutem.

49. In territorio etiam Senonensi, in oppido quod Sancti-Florentini nomine vocant, oblata est Viro Dei mulier surda : cui manus imponeus, per spiritum sensit virtutis effectum, cum illa adhuc stupida et tumultuosa (ut est genus istud), et, ut ipsa ante solebat, nihil se audire clamaret. Mane autem facto, cum nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea ; sciens Sanctus divinam illi misericordiam adfuisse, accersiri feminam jubet. Inventa igitur auditum recepisse, venit glorificans Deum, et Dei Famulo gratias agens, Egreddiebatur idem pater Metensium civitatem, et ex more devotus eum populus deducebat, cum episcopo eorum Stephano, et fratre ejus Rainaldo Barrensi comite, aliisque personis tam ex clericali, quam ex militari ordine multis. Interim causa exstitit ut rogaret nobilem virum Henricum de Salmis super verbo quodam, quod ipse ei episcopus et alii qui convenerant, suggerebant, ut videlicet Metensi civitati et populo pacem daret, cui graviter inimicabatur. Ille vero renuere penitus et abjurare, nec ullis precibus flecti. Inter hæc supervenientes alii offerebant beato Viro hominem surdum, obsecrantes ut ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdum ob causas necessarias terror quidam et auctoritas supra hominem in ejus facie rutilabat, conversus ad militem : « Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuo coram te audiet surdus. » Et imponens manus homini, signavit eum, et in aures ejus digitos misit. Quo protinus audiente, pavens Henricus et tremens ruit ad pedes Hominis Dei, humiliter satisfaciens, et libere annuens quidquid fuerat postulatus.

50. Transiens aliquando servus Christi Brenam oppidum, mendicantem in platea vidit feminam cæcam. Quam aliquantisper intuitus, cum ex more a transeuntibus eleemosynam flagiaret : « Tu, inquit, petis argentum, et Deus tibi visum donabit. » Accedens ergo tetigit eam, et oculos ejus aperuit. Quæ beneficium sentiens insperatum, non minus misericordiæ magnitudinem, quam lucem insolitam mirabatur. Inter primas propaginas, quas hæc abun-

dantissima vitis emisit, in Remorum parœcia monasterium Igriacense plantatum feliciter radicavit. Quod aliquando visitans idem Sanctus, vicum Martenæ fluvio proximum, quem Rivolum nominant, pertransibat. **1150** Vir quoque magnificus, et devotissimus ejus amator, Samson Remorum archiepiscopus, comitabatur illum, solita veneratione deducens. Senex autem claudus ad mendicandum positus erat in via, cui unus e fratribus eleemosynam dedit. Secutus Abbas sanctus, cum jam hominem pertransisset, convertit se : et paulisper intendens in eum, quid patiat interrogat circumstantes, et sibi illum præcipit exhiberi. Suspicati homines quod esset et amplius aliquid ipse daturus : — « Domine, inquit, claudus est, nec moveri potest ; nos ad eum feremus quod volueris dare. » Quo respondente verbum et dicente, « Tollite eum, et afferte ad me ; » primo quidem præ admiratione mutuo sese intuebantur, ignorantes quid esset facturus. Demum agnoscentes eum, clamabant ad invicem : « Abbas est Claræ-Vallis, et protinus illum sanabit. »

51. Nimirum solitus erat, quoties poterat, operam dare ne in vicis agnosceretur, et interdiceret sociis ne cui ex occurrentibus manifestarent eum, aut de eo aliquid loquerentur ; sed quærentibus quis transiret, dicerent monachos esse, aut aliquem de personis simul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei Famulo ruunt undique, et levantes hominem ferunt, et offerunt ei. Qui imponens utramque manum capiti ejus, et in cœlum suspiciens ac breviter orans, deponi illum jubet, et ambulare. Excusante eo et dicente, « Non possum : — Ego tibi, ait, in nomine Domini et ejus virtute præcipio, vade, et sanus esto jam ab hac hora. » Quid plura ? Statim depositus, statim sanatus est, statim libere gradiebatur repletus stupore et exstasi in eo quod contigerat sibi. Sed et vicini ejus et noti pariter congratulantes Dominum collaudabant, qui miserabilis hominis et meritum simul et votum abundantia suæ pietatis excessit. Unde etiam usque hodie locus ab incolis demonstratur, ubi signum tam evidens divinæ virtutis effulsit, ubi senex claudus ex multis annis, tota inferiori corporis sui parte præmortuus, et a renibus deorsum omni prorsus membrorum destitutus officio, dum stipem postulabat, sanitatem recepit. Hic fuit Viri sancti novissimus in Remorum partes ingressus : siquidem factum est hoc ante sacram ejus depositionem corporis anno uno. De qua felicium ejus actuum felicissima consummatione erit nobis jam, sed sub alia narratione dicendum. Nimis enim fallitur, si quis arbitratur hujus sanctissimi viri facta mirifica posse cuncta narrari : et tam necesse est multa sileri, quam impossibile omnia comprehendere.